

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Minerva, sive de causis latinae linguae commentarius**

**Sánchez, Francisco  
Schoppe, Caspar  
Perizonius, Jacobus  
Franequera, 1687**

Cap. V. - De nomine

[urn:nbn:de:bsz:31-109138](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-109138)

perunt, & tamen cum verbo plurali conjungunt, ut *ambo currunt*. Sed jam ad singulas vocis partes accedamus.

C A P. V.

De Nomine.

**N**omen dici à Græco *ὄνομα* omnes sentire videntur; mihi autem à *nosco novi, notum, novimen, nomen*: ut à *moveo, movi, motum, movimen, momen*: est enim imago quædam Nomen; qua quid noscitur. Hæc Scaliger. Porro nominis finitio est per vocem numeri casualis cum genere; quæ definitio propria est & perfecta: vox enim seu dictio, seu pars orationis genus proximum est, & *casus* est specialis differentia.

*Nomen est vox numeri casualis cum genere.*

Auctor ille *malè ipsemetipsum* qui circumfertur, indignus profecto Aristotelis nomine, nomen definit: *vocem significantem ad placitum sine tempore, cujus nulla pars significet separata*. An nomina significant natura, an fortuitò, magna quæstio est, & tota physica, nihil ad grammaticos: aliqua tamen attigimus cap. I. Cæterùm hæc pseudo-Aristotelea definitio, aut potius descriptio etiam conjunctiones, & adverbia comprehendit: ut mittam interim pessimam esse definitionem, ubi negatio reperitur. Neque necesse fuit addere, *sine tempore*, ut differat à participio: Participium enim omnino nomen est, sed habet præterea aliquid à verbo, ut Rex Philippus est etiam Dux, & Comes. Sed hæc latius, quàm de participiis agemus. Alii dixerunt: *Nomen est, quod corpus aut rem proprie, male nominaturve significat*. Quasi corpus non esset

*Donatus male Nomen dicitur res; nit.*

res; aut quasi hæc definitio ipsorum pronominibus non conveniret. Sed de iis nugis hæcenus: nunquam enim finis esset, si singula vellemus persequi.

## CAP. VI.

De Casibus. Græci sexto non carent.

Cap. 80. **P**rima & specialis nominis differentia, teste Scaligero, casus est. De cuius natura, ordine, atque nomine deinceps est dicendum. Ac primum solet quæri, cur rectus dicatur casus, si casus dicuntur à cadendo, quia cadant à recto; Hoc latè disputat Scaliger, tandemque huc tendit, obliquos dici casus, quia cadant à recto; Rectum autem ipsum, voce largius communicata casum etiam appellari. Disputat insuper Scaliger, non rectè casibus nomina indita ab officio, ut nominativus, genitivus, &c. Sed hæc nomina probat, primus, secundus, tertius, usque ad sextum. Ego ut Scaligero non possum non assentiri, ita etiam antiquissimorum vocabula non audeo convellere. Video M. Varronem (qui ad Ciceronem scripsit) iis uti nominibus, quibus nunc utimur: „[similiterque Asconium in 3. Verrin. *Nominativum casum*; & „ in 2. Verrin. \* *Ablativum dicere*:] quintiam Varro lib. 1. de Analogia, rationem casuum iis verbis conatur ostendere: *Sunt declinati casus, ut is qui de altero diceret, distinguere posset*,

Casuum  
nomina  
antiquiss

\* *Ablativum dicere*] Adde Sueton. Aug. c. 87. *Demos Genitivo casu singulari, pro domus* & Gell. IV. 16, ubi promiscue *Genitivum* & *patrium casum*, *Dativum*, & *dandi casum* secundum & tertium vocitat.